

debit lumen divinae fidei Christi per media ab eo ordinata.

QUAESTIO III.

Quare tantus est D. Lucas in referendis, ac scribendis virtutibus Cornelii, & quot illa fuerint?

15: P. Primo dicitur Vir religiosus, D. Chrysof. pius, Arabicus. Optime se gerens, Syriacus iustus, observans praecipua naturalia multa cum veneratio- nis unius Dei, ac sanctis bonis operibus, ita dicitur vers. 2. vir iustus, Secundo timens Deum, qui est initium Sapientiae Ecclesiast. 1. num. 16. & radix, & fundamentum omnium virtutum, & custodit ab omni peccato; dicebat Moyses populo Exod. 20. num. 20. Nolite timere, ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccetis. Timor Dei excludit peccatum. Tertio. Cum omni domo sua. Ut optimus Pater familias totam domum suam bene compositam habens in obsequium dei, de quo quaestione sequenti.

16: Quarto faciens elemosynas, opus summae charitatis, & maxime placens Deo, unde dicitur Ecclesiastes. 7. num. 13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia, Chaldaic. transfert. Quemadmodum custoditur vir in umbra sapientia, sic custoditur in umbra argenti, in tempore, quo facit elemosynam.

17: Quinto Deprecans Deum semper, quantum ei licebat pro tempore & onera sui muneris permittebant. Ait Apostol. Roman. 10. n. 13. Omnis enim qui eumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Sexto, ut dicitur infra de eo vers. 21. Testimonium habens ab universa gente Judaeorum, bene faciens omnibus absque ulla querela, & oppressione, ut ibi latius explicabimus.

18: Quae tamen principaliter inquiri. Cur tantus est D. Lucas in proponendis, ac explicandis virtutibus Cornelii? Ut ostendatur, quod ipse ex tantis virtutibus tantum promeruerit beneficium, ut admonitus ab Angelo Petrum advocaret, ut ab eo in fide instrueretur, ac baptizaretur. Stapletonius ait, ut ad tales virtutes excitetur, ut magna Dei beneficia promereamur.

19: Aliter respondet Oecumenius, & inquit: Non memorantur. Aethiops, ac Cornelius, eo quod in dignitate constituti erant, sed quod ob divitias, & factum prohiberi non fuerunt, quin versarentur in pietate: Memorantur a nostro Evangelista Aethiops potens Reginae Candacis, qui erat super omnes divitias ejus supra c. 8. & etiam hic Cornelius centurio nobilis & potens, qui divitias cum copia non in superbiam elati, sed Christi humilitatem immobiliter amplexati sunt, divitiis, ac potentia non abutentes ad laxas vitiorum habenas, sed eas componentes, ac refranantes ad Christi obsequium in elemosynas, ac pia opera, ob divitias, & factum prohiberi non fuerunt, quin versarentur in pietate, ut ex illis multum possent promereri.

20: Cain ex sua iniquitate convictus dicebat ad dominum: major est iniquitas mea, quam ut veniam merear: Ecce eiecisti me hodie a facie terra, & a facie tua abscondar. Genes. 4. num. 14. Quamnam est haec consequentia verborum, ex eo quod eiecitur a facie terrae, ne ei germinet optatos fructus, ac proventus, inde non valet apparere ante Dominum, sed ab ejus praesentia debet abscondi? Cardinalis Hugo: Ecce eiecisti me hodie a facie terra, a facie tua abscondar, & dicitur eieci, quia gravis, ac onerosus

factus omnibus, etiam sibi, quod jam in praesentia Domini non audeat comparere. Cain spoliatus, ac viduatus ab omni agricultura, ac germine terrae, etiam destituitur ope, ac adjuvamine, ut suis oblationibus offensum Numen valeat placare, & inde sibi persuadet, Quod jam in praesentia Domini non audeat comparere. Quamvis Cain improbus pinguedinem terrae exoptabat, ut ex illa aliquid defrensus posset se Deo praesentare.

21: Magnum exemplum habemus in hoc Zachaeo, qui cum reciperet Christum in domo sua, ait ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquid defraudavi, reddo quadruplum; ait Jesus ad eum: quia hodie salus huic domui facta est, quia filius Abrahae est, Luc. 19. n. 9. Ad quae verba D. Ambrosius in Lucam ait, Discant divites non in facultatibus crimine habere, sed in his, qui uti nesciunt. Nota sequentia: Nam divitia sicut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjuvamenta, nempe ad salutem & vitam.

Huc advoco id, quod ait Jacobus Apostolus 1. n. 9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives in humilitate sua. Dum ipse humiliatur a factu suarum divitiarum illas expendens ob Dei amorem, ut praclare ait D. Missenus lib. de orat. Exiguum est, quod natura debet, quod adversus te ipsum tuas tripliciter tributa. Tibi pauca sufficiunt, si plura tibi arrogas, sunt tributa egentibus debita a quibus eos defraudas, ac tamquam furaris quod est alienum.

QUAESTIO IV.

Quare de Centurione non dicitur solum, quod timebat Deum, sed etiam cum tota domo sua?

22: Ait Textus de nostro Centurione: Vir pius, ac timens Deum cum omni domo sua. Ex quibus verbis praclare D. Chrysof. homil. 23. monet omnes principes, ac dynastes, & ait: Audite omnes, qui regibus assistitis, Pius, inquit, erat, ac timens Deum, ac quod majus salis erat cum omni domo sua, ita erat huic rei intentus, ut non solum sua bene constitueret, sed etiam in ministris suis, istud etiam faceret. Hoc magnum fit omnibus magnatibus documentum, ut non solum ipsi se bene, ac recte gerant, & componant, sed etiam id ipsum in tota sua familia plantare studeant, sicut illa praclara Esther, quod triduum jejuniis, quod in Susam induxit, ait ipsa: Et ego similiter cum ancillis meis jejunabo Esther. 4. n. 16.

23: Ait Regius Vates Psalm. 20. n. 1. Afferre Domino Filii Dei, afferre Domino filios arietum. Convocantur a Davide Filii Dei, seu, ut alii legunt, Principes, & Proceres, capita familiarum, quod ut Filii Dei se habeant, non in eo, quod ostendant opera sua bona, sed quod secum afferant filios arietum, ut ita sollicitè invigilent in domo sua, ut in ea renascantur teneri agnelli ut omnipotenti deo afferat gloriam, & honorem p. Chrysol. serm. 10. ait: Afferre Domino Filii Dei, afferre quos fides concipiat, non caro; afferre quos Dei gratia generet, non mundana natura, quomodo se Christianum credit, aut quomodo domum suam judicat ovile Dei, ubi non pascuale germen Dei pecus dat balatum. Ut unusquisque judicet domum suam esse ovile Dei, debet in ea renasci, ac prodiere Dei fructus; Quomodo domum suam judicat ovile Dei, ubi non pascuale germen Dei pecus dat balatum.

24: Non sat est, quod Pater familias sit bonus, & reclusus, sed etiam necesse est, ut bene ordinet, regatque

1. Reg. 3. que totam domum suam; Bonus erat Heli, nam audita sua domus devastatione, ac ruina, se Deo sub jiciebat, ac ejus Providentiae dicens: Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. 1. Reg. 3. n. 18. tamen quia licentiosam filiorum vitam non increpavit, ac prohibuit, ipsis pereuntibus, ipse etiam perit, ac moritur; nam cum filii ejus essent in praelio, ibi mortui ceciderunt, quod veniens nuntius cum indicasset Heli, 1. Reg. 5. n. 18. Cecidit de Sella retrosum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. Quod venuste ponderat D. Prochus epistola ad Joannem Antiochen; ait: Senex in juvenum tempestate naufragium passus est, pro quibus affectum non gubernavit increpatione. In communi naufragio gubernator, & alii ab undis absorbentur, & quia filii Heli in Dei obsequio naufragarunt, ipse eodem naufragio involvitur, quia increpatione eos non direxit, ac gubernavit.

2. Reg. 5. Ait. Et vidit in visu manifeste quasi hora diei nona Angelum Domini introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli.

3. Num. 4. At ille intuens eum timore correptus, dixit, quid est Domine? Dixit autem illi: Orationes tuae, & elemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

4. Num. 5. Et nunc mitte viros in Iopen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus.

5. Num. 6. Hic hospitatur apud Simonem quendam Coriariam, cujus est domus juxta mare, hic dicit tibi, quid te oporteat facere.

6. Num. 7. Et cum discessisset, Angelus qui loquebatur illi, vocavit domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant.

7. Num. 8. Quibus cum narrasset omnia misit illos in Ioppen.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE II.

25: Vers. 3. I. S. vidit in visu manifeste. Arabicus: Vidit visionem manifestam, clare, & manifeste oculis corporis; Quasi hora diei nona, Syriacus: Circiter ad horam nonam. Aethiopicus: Tempore horae nonae, quae est tertia post meridiem, de quo dixi cap. 3. vers. 1. nam haec hora erat propria orationis Judaeis, ut ibi dixi, quia tunc, ut ait D. Chrysof. curis dimissis deo vacabant, & tali hora Cornelius vacabat orationi. Beda, & Arator aliam assignant rationem moralem: Quoniam in morte illius baptizandus erat, qui spiritum tradidit hora nona.

26: Angelum Domini. Corpore aereo assumpto, ut corporaliter appareret, ut omnem illusionis speciem, ac metum excluderet: valde probabiliter Lyranus, & Carthusianus existimant fuisse Angelum Custodem. Corneli: nomine expresse ipsum vocat, ut attentorem faciat, forte maxime erat absorptus in oratione.

27: Vers. 4. At ille intuens eum timore correptus. Ob fulgorem, ait Lyranus resplendescentem in vultu Angeli, & ob insolitam visionem, ut de B. Maria dicunt D. Ambrosius, Beda, Origenes Theophilactus: Quid est Domine? sic habent omnes Bibliae

emendatae Syriacus: Quid est Domine mi? Alii Codices legunt: Quis es Domine? ut Saulus dixit ad Christum, sed prima lectio verior: Orationes tuae, & elemosynae tuae ascenderunt. Vatablus: Recordatus est Dominus orationum, ac elemosynarum tuarum quasi memoriale a te missum apud Deum servatur, & dicuntur orationes ascendere instar holocausti coram Deo, ut dicitur Apocalyp. 8. n. 4. Ascendit fumus aromatum de manu Angeli, quae sunt orationes Sanctorum.

28: Vers. 5. Mitte viros in Ioppen. Syriacus: Mitte aliquos. Accersi. Simonem, qui cognominatur Petrus. Vult Deus homines instrui per homines sic & Saulus per Ananiam: Unde & hic Princeps inter gentes per Petrum, id est per Principem, ac supremum caput Ecclesiae; quia hujus erat aperire januam gentibus, sicut in hoc gentili omnibus aperuit, ut ait D. Hieronymus, epistol. ad Salvan. Primus Cornelius salutem gentium dedicavit.

29: Vers. 6. Hic hospitatur apud Simonem quendam, Syriacus: Hic diverstat in adibus Coriarii. Aethiopicus: Sntorem calceorum, & ut facile domus inveniatur, signum praebet, Cujus domus est juxta mare. Arabicus: Cujus domicilium. De hoc Simone dixi capite superiori, quaestione ultima, caetera in quaestionibus.

30: Vers. 7. Et cum discessisset, vocavit duos domesticos suos. Syriacus: Duos ex servis suis. Alter Syriacus: Ex filiis domus suae. Vatablus: Qui illi inserviebant. Iidorus: Ex illis, qui illi assistebant ex quo constat, quod duo domestici ejus essent de domo Cornelii, erant metuentes Deum, nam supra dicitur, quod Cornelius erat timens Deum cum tota familia sua.

31: Et militem metuentem Deum. Arabicus: Probata vita. D. Chrysof. militem pius, quod exprimit D. Lucas; quia hic miles tertius non erat de domo Cornelii, nam omnes illi erant metuentes Deum & tres mittuntur. Glossa Interlinealis: Ut sit idoneus trium numerus. Glossa Ordinaria Beda, Arator: Ut triplex mundi pars denotetur, ex quo gentes vocandi erant. Leo Nonus de Epiphania cap. 17. Ut significetur professio Trinitatis.

QUAESTIO V.

Quare ad Cornelium illuminandum in fide non mittitur aliquis discipulus, Diaconus, sed Angelus?

32: Vidimus in toto hoc libro, quod ad praedicandum in Samaria Azoto, ac aliis partibus, missi sunt Apostoli, & discipuli, & ad illuminandum Aethiopem Reginae Candacis missus est Philippus diaconus cap. 8. cur, quaeso, ad Cornelium nullus ex istis mittitur, sed Angelus?

33: Respondeo primo: Quia missus est Angelus ad dirigendum Cornelium ob bona opera ejus, elemosynas, & orationes, quae deo offeruntur per manum Angeli, ut dixi supra ex Apocalyp. 8. num. 4. Ascendit fumus aromatum de manu Angeli, quae sunt orationes Sanctorum, & meus Angelus Raphael dixit Tobiae 12. num. 12. Ego obtuli orationem tuam Deo. Et ibi communiter commentatores, cum Glossa, & D. Laurentio Justiniano de Christi agone cap. 6. Cum ergo haec vocatio Cornelii facta fuisset ob bona opera illius, quae Angelus deo obtulerat, inde ipse missus est a Deo, ut Cornelius perciperet fructum, & praemium ex tantis bonis oblatis.

Secundo agebatur de ostio aperto praedicationis Evangelic. gentibus, cujus primi praedicatorum sunt Angeli. Vidit Jacob in somnis Scala stantem super terram

terram, & cacumen illius tangens Caelos, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super eam. Genes. 28. num. 12. Innumera sunt mysteria, quae sancti Patres, ac Doctores hic considerant. Angeli ascendentes deferentes nostra bona opera coram Deo, descendentes, ut sanctum Dei Evangelium praedicent, & manifestum faciant in toto orbe. D. Cyprianus de nativitate ait: A supernis legionibus incepit Evangelium, ejus primi dictatores Angeli, & Sophronius in Encomio de Angelis inquit: Angeli sunt Diaconi, Apostoli, Traditores, & Prophetae, & Evangelista. O praclarum & sublime ministerium, quod a supernis spiritibus Angelicis exordium habuit. Ipsi in nativitate nocte pastoribus annunciant: Evangelizo vobis gaudium magnum, natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2.

Tertio Angelus mittitur, quia per Angelos deus disponit, & gubernat suprema, & alta negotia, quale erat hoc praefens de conversione gentium. Ait Joan. in Apocalyp. cap. 5. num. 6. Vidi agnum in medio throni habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram. Sermo est de septem spiritibus principalibus, qui assistunt ante Dei thronum Apocalyp. 1. n. 4. Nota quanta sit horum Angelorum dignitas, ut dicantur oculi Dei: Oculos septem sunt septem spiritus missi super omnem terram ad magna, & alta negotia divinae providentiae disponenda, agenda, atque perficienda in universa terra. Clemens Alexandr. l. 6. Stromat. inquit: Septem quidem sunt, quorum principis est maxima potentia, primogeniti Angelorum Principes, per quos Deus omnibus hominibus praesidet, idemque oculi Dei dicuntur in Apocalypsi.

Ait Isaia 66. n. 20. Et adducunt omnes fratres vestros de cunctis gentibus in equis, & in quadrigis. Et cum electi dei liberandi sunt a iugo, ac servitute Diaboli, ac peccati, in quo existunt ac excutient jugum in ducatu, ac potentia Angelorum, sic de Angelis sanctis Hieronymus exponit, & ait: Diversi generis v. bicula, ministeria intelliguntur Angelica. His equis, & curribus Elias raptus est, & Elias vidit in nocte equos rufos, nigros, varios, & albos, & dixit: Qui sunt isti, quos misit Dominus, & perambulant terram.

Ait Christus Dominus Luc 11. n. 22. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet: si autem fortior eo supervenerit vicierit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet. Fortis armatus erat diabolus possidens in pace omnem gentilitatem, venit fortior illo Christus Jesus Filius dei, ipsum superavit, ac destruxit, suaque gratia destruxit ejus diabolica arma, nempe tentationum machinas: Et spolia ejus distribuet. Quenam sunt haec spolia, & per quos distribuit? Spolia sunt homines, qui sub potestate, ac captivitate Demonis erant, & distribuet, ita exponit D. Basilus apud Caren. ibi: Distribuet spolia exhibens fideles custodias Angelorum ad hominum salutem: Christus Dominus diabolum subjecit, ac superavit donans nobis vitam, & salutem spiritualem, & cum simul praevideret nosse Divin? Salvator multa Demonum jacula ejus sagaci alticia in nos contorta, alta sua sollicitudine nobis assignavit Angelos Custodes, ut eorum protectione muniti, ac defensi adversariorum versutias ac insidias diffipare valeamus. Distribuit spolia, Exhibens fideles custodias ad hominum salutem. Christus suo pretioso Sanguine nos redemit, ut fructum ipsius redemptionis assequamur contra Demonum tentamenta mediante sua gratia nobis confert Angelos ad custodiam.

Quod ipsi magna solertia, ac cura praestant, ait Paulus ad Hebraeos 1. num. 14. de Angelis loquens: Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Addit Tertullianus lib. de Anima cap. 37. Nos divina officia Angelos credimus. Non ait Angelos Officiales credimus, sed officii: tanta cura, atque sollicitudine nobis Angeli assistunt, ac ministrant, ut non tantum erga nos sint officiales, sed veluti praetorum ingenti sollicitudine videantur converti, ac commutari in ipsa officia, quod pro nobis etiam dormientibus ipsi vigilant.

QUAESTIO VI.

Quare cum Angeli ante Deum offerant nostras orationes, & opera, tamen orationes Virginis Mariae tali Angelorum ministerio non indigent?

In limine superioris quaestiones diximus, quod nostrae orationes, & opera per ministerium sanctorum Angelorum offeruntur coram Deo, et si hoc verum sit in aliorum orationibus, non ita sentiendum de precibus Sanctissimae Virginis Mariae, sed ob ejus reverentiam, ac tantorum meritorum celsitudinem, ipsa per se absque alicujus interventu efficaces sunt apud deum, ut exaudiantur.

Ingressus Angelus ad eam, dixit ei: Ave gratia plena. Dominus tecum. Luc. 1. n. 28. Stabat Sanctissima Virgo in altissima meditatione, ac oratione circa adventum Messiae Christi domini ad illa verba Isaiae: Ecce virgo concipiet, ut pie considerant D. Itephonus, aliique Patres, cur Angelus circa altissimam orationem Mariae Virginis nullum Verbum facit, ut Raphael dixit Thobiae 12. Quando orabas cum lacrymis, &c. Ego obtuli orationes tuas Deo. Sic & oranti Danieli pro Christi adventu addit Gabriel, dicens, scio quia vir desideriorum es, & illi proponit celebrem illam prophetiam de hebdomadibus Daniel. 9. num. 2. Cur ergo Virgini oranti nullam commemorationem facit Angelus de ejus oratione? Deipara orationes non indigent Angeli ministerio, sed pro debita Virgini reverentia, ac tanta illius excellentia maxime commendabantur apud Deum, ut illico exaudita cuncta impetrarent. D. Bernard. serm. 3. de Annuntiat. ait: Solent Angeli assistere orantibus, & delectari in his quos vident puras manus levantes in oratione, holocaustum sanctae devotionis gaudens se offerre Deo in odorem suavitatis, Maria autem orationes, quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam, cum reverentia salutavit. Ave gratia plena.

Anna Samuelis mater, cum esset filiis destituta & amaro animo oravit ad Dominum, sicens largiter 1. Reg. 1. n. 10. faciens Deo votum pro virili semine in tantum, ut Heli Sacerdos cum vidisset eam tam abundanter lacrymantem, ac gementem, eam existimavit ebriam, a qua calumnia ipsa se excusat quod non biberit vinum aut aliquid, quod inebriare valet, sed maxime dubitabo, ut cum ipsa viderit Sacerdotem multum sibi propensum, cur non postulat ab eo, ut pro ipsa deum exoret, ut eum propitius, suamque petitionem exaudiat, ut ei indulgeat praebeneficentia sua: Anna agebat figuram Sanctissimae Virginis Mariae, ut ait D. Gregor. Nisenus oratione de nativitate, exoptantis adventum Filii Dei, inde non querit mediatorem, sed ipsa absque alicujus interventu totum impetrat, ac perficit. Et quomodo in Maria erga deum requiritus est alicujus

alicujus mediator, cum ipsa idem sit una cum deo filio suo. Instabat lex, ut nullus ingrederetur ad Aethiorem regem, nisi advocatus, absque licentia ingreditur Esther, cumque exinde turbaretur ait illi Aethiurus: Esther bono animo esto secura, quod invocata veneris, legem vero illam latam esse in subditos, ipsi vero, ut regni socia licere omnia, ita scribit Josephus lib. 11. expende verbum, ut regni socia, in quo maxime splendet gloria Mariae, qui ut Esther ingrederetur ad Regem non exoptatus fuit aliquis nuntius, hoc enim subditorum erat, non verum Esther quae erat regni socia, quanto magis omnis aditus erit patens ac apertus Virgini Mariae, cum ipsa regni socia, non sit, sed supremi regis mater, & ipsa. Esther figuram Sanctissimae Virginis repraesentabat, ut est satis commune apud sanctos ac doctores.

Post peccatum primi hominis deus debitas poenas transgressoribus imponens Eva dixit: In dolore paries filios, sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi: Ada vero dixit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua supruis es, quia pulvis es, & in pulverem revertentis. Genes. 3. num. 19. deus his duobus delinquentibus duas poenas, seu duas leges contulit adversus mulierem: In dolore paries, sub viri potestate eris; At adversus Adam fulminavit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram. Ecce senectia moriendi soluta fuit contra Adam, & non adversus Evam, numquid Eva immunitas erit a poena mortis, ut ingeniose respondet Bellarminus lib. 1. de gratia cap. 1. nam cum mortis lex indicitur Adamo sub illa comprehenditur Eva utpote Adamo intime conjuncta ex ejus carne, & ossibus formata est.

Ex quo dicitur quanta sit celsitudo Virginis Mariae, cum idem cum filio suo intelligatur, cum ei sit intime conjuncta carne, & sanguine, quem ei in sua conceptione ministravit, ut pulchre differit D. Joannes damascenus oratione in assumptione Mariae habita apud Metaphrastem, & ait: Eva quidem quae aures praebebat nuntio serpentis, accepit sententiam doloris, & molestiae, & partus subit dolores, & cum Adamo novis damnatur supplicio, & Infernorum collocatur penetrabilibus, Maria autem omni ex parte Beata, quae aures inclinavit Dei verbo, absque viri opere concepit Dei verbi personam, & peperit absque doloribus, & tota Deo fuit unita. Expende tota unita.

In hujus rei consideratione, quod antequam secunda Trinitatis persona Christus natus manifestatur in mundo quater dicitur Verbum. Joann. 1. In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & postea Verbum caro factum, at quando accepit se mundo manifestare quantum capio in Evangelio non dicitur amplius Verbum, sed Filius dei a D. Petro, Martha, & alius qui ex eo, quod coeperit cognosci, & manifestari Filius Mariae Virginis cepit declarari, ac publicari Filius Dei; quia Virgo Maria nullum alium filium poterat habere, nisi filium Dei. D. August. tom. 10. sermone ad fratres in Eremo ser. 10. de nativitate Domini ait: In Caelo qualis est Pater, talis est Filius, & in terra qualis est mater, talis est Filius. Ab ipsa Divinitas in Christo qua homo, erat abscondita, tamen ex Virgine Matre manifestatur, & de humanae filiationis elogio in terris sumptuosissime evulgatur; nam Christus in Caelo qualis Pater, talis Filius, & in terra qualis mater, talis Filius, in Caelo qua deus ex Patre deo, & in terris qua homo ex Matre Virgine confetur: In terra qualis mater, talis filius, ma-

ter purissima, & sanctissima, filius purissimus, & sanctissimus.

QUAESTIO VII.

Quare Centurioni mandatur, non quare Petrum, sed eum ad se advocare, & de Petro nihil ei magnum dicitur?

At Angelus Cornelio: Mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus, Coharentius videbatur, quod Centurio adiret, & quereretur suum Magistrum, ac Principem, & caput totius Ecclesiae, e contra tamen factum est forsita, quia Centurio habebat officium publicum & non poterat deesse Officii sui obligationibus, & ab illis abesse. deinde vocatur Petrus, ut ipsum Cornelium, totamque ipsius familiam baptizaret & tandem ut Cornelius ex summa charitate totam suam rem Petro offerret ad eleemosynas, quia, ut ait Photinus presbyter lib. 1. de domo dei: Fides non est otiosa, neque solitaria, individua comes ei injungitur bona operatio instantia; nam cum per fidem quis cogitata incipit amare, consequenter exercet operando, quod amat.

Quaestio tamen principaliter inquit cur Angelus ta nude absque aliquo titulo Petrum nominat, absque eo quod aliquid magnum de eo dicat, ut fieri poterat adstruendo ipsum esse Caesorum clavigerum, Caput Ecclesiae, ac Apostolorum principem. Imo ipsum petrum quodammodo comprimit, Eva inquit, dum ait: Accersi Simonem quemdam. Iud pro nomen quemdam juxta latinum sermonem denotat hominem communem, vulgarem, vilis conditionis ut notavit D. Ambrosius lib. 10. ad cap. 22. Lucae ad illa: Ite in civitatem ad quemdam, desit sine nomine designatur, ut ignobilis aestimetur. Deinde de Paulo in sua conversione multa dicitur magna, ut Quonia vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, Regibus, & filiis Israel. Act. 9. n. 15. Cur de Petro nil tale dicitur?

respondeo primo, quod alii, ut magni habeantur multa magna sunt de eis publicanda: at in retro fat est, quod dicitur Petrus, in ipso naque ejus nomine tamquam in compendio, ac epilogo omnia sublimia, ac excelsa recipiuntur & satis est quod dicitur Petrus, ut ibi universa illustrissima designantur. Vide t. 4. in Evang. cap. 10. q. 5. n. 28. & dicta tom. 2. in Apocalyp. cap. 21.

Secundo, quia ab Angelo mandatur vocari petrus tamquam Ecclesiae caput, omniumque Pastor ideoque multa cum veneratione eum ad se vocat Cornelius, mittit duos primos prex suis familiis principalibus, qui utpote ex sua familia erant servientes Deo, & insuper alium militem timentem deum ut dicitur in Textu, ut tres eum comitarentur in via tamquam magnum Principem, & Pontificem Deo datum, sic ait Sanctus Albertus in nostra regula Carmelitana? Fratres Priorem vestrum honorate, Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui possit eum super capita vestra.

Scribens Paulus 1. Corinth. 11. nam. 6. & 7. Mulier velet caput suum, vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago Dei est. Ubi maxime dubitabis, magnamque indaginem requirit cur ab apostolo homo appelletur Imago dei, non vero mulier? quam difficultatem proponit, & solvit Theodoretus quaestione 20. in Genes. ad illa verba Genes. 1. Dominamini piscibus maris, & volatilibus Caeli, & sic ait: Homo est imago Dei secundum imperium, & potestatem, & quemadmodum Deus omnibus

Angeli primi praedicatores Evangelii. Gen. 18. D. Cyprianus. So phron. Luc. 2. 35. Apoc. 5. Angeli dicuntur oculi Dei ad magna negotia. 36. Iai. 66. D. Hier. Angeli in auxilium, & protectionem hominum. 37. Luc. 11. Deus dicit nobis Angelos ad custodiam contra Demones. D. Basil.

38. Hebr. 1. Tertull. Angeli maxime suspens in nostris salutem. 39. Luc. 1. 40. Luc. 1. Tob. 12. Daniel. 9. Deipara orationes statim exaudiantur. D. Bern. 41. 1. Reg. 1. D. Greg. Nisena.

Joseph. Esther ut regni socia omnialicebant. Gen. 1. Eva ex Adami carne creata idem dicitur cu illa. Bellarm. Joannes Damasc. Maria intime unita Deo. D. Aug. Filius Dei agnoscitur, quia Filius Virginis

46. Cur non vadit ad Petrum. Fides sine operibus otiosa. Photin. 47. Difficultas quaestio. D. Ambrosius. Act. 9. 48. 49. Petrus multa cum veneratione tractandus. Regula Carmelitarum. 50. 1. Cor. 11. Theod. Gen.